

**ACTA TRIBUNALIUM SANCTAE SEDIS  
Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal**

**Prot. n. 38517/06 VAR  
Quaesitum**

**RESPONSIO IN RE PARTICULARI**

Litteris diei 7 m. Decembris a. 2005 Exc.mus Vicarius Iudicialis Tribunalis Ecclesiastici N. Pontificio Consilio de Legum Textibus Interpretandis hoc proposuit quaesitum, scilicet, num in causis nullitatis matrimonii remedium detur restitutionis in integrum. Quod quaesitum dein transmissum est pro competentia ad hanc Signaturam Apostolicam.

**SUPREMUM SIGNATURAE  
APOSTOLICAE TRIBUNAL**

Re sedulo perpensa;

Visis canonum 1645 §1 et 1643 praescriptis, iuxta quae

- restitutio in integrum datur adversus sententiam quae transierit in rem iudicatam;
- causae autem de statu personarum, proinde et causae de nullitate matrimonii, numquam transeunt in rem iudicatam;

Perspecto quod, duplici conformi decisione prolata de nullitate matrimonii ad normam can. 1645 §1, n. 1 (cf. art. 291 Instructionis *Dignitas connubii*), proprium iuris remedium datur, id est petitio novae eiusdem causae propositionis (cf. can. 1644), quod iuris remedium latius patet quam restitutio in integrum;

Firmis praescriptis de restitutione in integrum petenda

- adversus decisiones in causis incidentibus prolatas, quae quidem in rem iudicatam transierint;
- ad normam can. 1460 §2;

Cum in casu non agatur de dubio iuris, sed de mera legis applicatione;

Vi art. 124, n. 1 Const. Apost. *Pastor bonus* (cf. can. 1445 §3, n. 1);

In Congressu, die 22 m. Iunii a. 2006 coram infrascripto Cardinali Praefecto habito, ad rem respondendum decrevit et facto respondet:

**Restitutionem in integrum non dari adversus sententias definitivas sive affirmativas sive negativas edicentes circa ipsam matrimonii nullitatem.**

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 22 m. Iunii a. 2006

Augustinus Card. Vallini, *Praefectus*  
† Velasius De Paolis, c.s., *Secretarius*

## COMMENTARIUS

### I. Introductio

1. Litteris diei 7 decembris 2005 Vicarius iudicialis alicuius Tribunalis ecclesiastici Pontificio Consilio de Legum Textibus hoc proposuit quaesitum, scilicet, num in causis nullitatis matrimonii remedium detur restitutionis in integrum. Quod quaesitum, sedulo examini subiectum, Pontificium Consilium die 15 maii 2006 pro competentia transmisit ad Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, censens in casu haudquaquam agi de vero dubio iuris, sed de quaestione practica quae legis applicationem respicit. Signatura Apostolica id confirmat in parte motiva responsionis per locutionem: “Cum in casu non agatur de dubio iuris, sed de mera applicatione legis”.

2. Eadem Signatura rem proinde tractavit vi muneris rectae administrationi iustitiae in Ecclesia invigilandi (cf. artt. 124, n. 1 et 121 Const. Apost. *Pastor bonus*; can. 1445 §3, n. 1) et, prae oculis habitis documentis a Pontificio Consilio transmissis, de proposita responsione vidit in Congressu die 22 iunii 2002 coram Cardinali Praefecto habito.

Iuxta consuetum Signaturae Apostolicae stilum responsio tribus partibus constat: in prima parte breviter exponitur facti species; in secunda parte exhibentur motiva essentialia pro responsione atque indicantur titulus eius competentiae et procedura in

casu adhibita; sequitur tandem in tertia parte ipsa responsio.

Agitur de responsione in re particulari alicui concreto Tribunali data, quae autem momentum habet etiam pro aliis Tribunalibus ecclesiasticis et iuris processualis canonici cultoribus, quia mentem Signaturae Apostolicae revelat seu eius iurisprudentiam et praxim.

3. Quam ob rem expedit illam responsionem brevi commentario illustrare. Primum quaedam dicentur de recentiore aliqua discussione in re, dein separatim agetur de his duabus quaestionibus: Potestne sententiis definitivis affirmativis vel negativis circa ipsius matrimonii nullitatem applicari institutum restitutionis in integrum? Potestne decisionibus incidentibus in causis N.M. applicari institutum restitutionis in integrum? Et tandem exhibebitur quaedam animadversio finalis.

## **II. De quadam recentiore discussione in re**

4. Ad normam can. 1645 §1 restitutio in integrum est remedium adversus sententiam, quae transierit in rem iudicatam, dummodo de eius iniustitia manifesto constet, quae quidem iniustitia constare debet ob unam ex rationibus taxative in §2 eiusdem can. indicatis. Res vero iudicata habetur ad normam can. 1641, firmo praescripto can. 1643 iuxta quod numquam transeunt in rem iudicatam causae de statu personarum. Sedulo quoque animadvertenda est distinctio inter rem iudicatam (cf. can. 1641) et sententias vel decreta a quibus ad normam can. 1629 non est locus appellationi.

Restitutio in integrum non datur, iuxta communem doctrinam, quando praesto est aliud remedium, uti querela nullitatis (cf. cann. 1619-1627), appellatio (cf. cann. 1628-1640), petitio novae eiusdem causae examinis in causa de statu personarum (cf. can. 1644), vel decisio adhuc alio modo revocari vel reformari potest (cf. v.g. can. 1591).

5. Etsi consequenter in doctrina communi possibilitas applicationis restitutionis in integrum ad sententias definitivas circa nullitatem vel minus matrimonii non admittebatur, proposuit post Codicem Iuris Canonici anno 1983 promulgatum contrariam opinionem L. Wrenn<sup>1</sup>, cuius argumenta respiciunt redactionem quodammodo immutatam can. 1645 §1. Restitutio in integrum non amplius esset remedium solummodo contra rem iudicatam manifesto iniustam, verum etiam contra omnem sententiam manifesto iniustam. Ipse ideo putat restitutionem in integrum etiam peti posse adversus sententiam primi gradus in causis nullitatis matrimonii, dummodo sit manifesto iniusta ob unam ex rationibus de quibus in can. 1645 §2.

J. Johnson<sup>2</sup> argumenta a Wrenn adducta sedulo subiecit examini eaque, rationibus validis adductis, haud cogentia invenit, sed nihilominus opinatur

---

<sup>1</sup> *The Code of Canon Law. A Text and Commentary*, CLSA, New York – Mahwah 1985, 1004; L. WRENN, *Procedures*, CLSA, Washington 1987, 79.

<sup>2</sup> J. JOHNSON, «Making Restitution in Marriage Cases: Can it be done?», *The Jurist* 51 (1991) 155-182; J. JOHNSON, «*Res iudicata, restitutio in integrum*, and Marriage Cases», *Studia Canonica* 28 (1994) 323-345.

institutum restitutionis in integrum fortasse quibusdam in casibus extremis sentiis in causis nullitatis matrimonii applicari posse: «*Apart from seeking an authentic interpretation [...], the only way to determine whether his [Wrenn's] opinion can be used is for someone to use it at least in a test case [...]. Experimenting with the use of reinstatement in marriage cases impresses me as rather risky; but that can be the way the law grows*»<sup>3</sup>.

C.A. Cox<sup>4</sup>, dein exposuit utramque opinionem, sed conclusit pro opinione a Johnson proposita.

Sua ex parte, J. Beal<sup>5</sup> rem denuo examini subiecit. Uti Johnson, etiam ipse satis demonstravit argumenta a Wrenn proposita haudquaquam esse cogentia, quam ob rem in eorundem argumentorum refutatione amplius non est immorandum. Beal haud admittit possibilitatem restitutionis in integrum ad duplicem sententiam conformem affirmativam vel negativam de ipsa nullitate matrimonii quod attinet: «*The changes in the norms governing the restitutio in integrum during the code revision process were not sufficiently substantial to change the fundamental character of the institute. As in the 1917 code, so in the 1983 code restitutio in integrum is available only when no other remedy is available against a clearly unjust sentence. In particular, it is not available to challenge marriage nullity cases which have received two conformed sentences since these cases*

---

<sup>3</sup> J. JOHNSON, «*Res iudicata*» (cf. nt. 2), 337; 345.

<sup>4</sup> *New Commentary on the Code of Canon Law*, CLSA, New York – Mahwah 2000, 1744-1745.

<sup>5</sup> J. BEAL, «*Remedial Readings: Challenges to Sentences in Marriage Nullity Cases*», *The Jurist* 59 (1999) 1-38; vide 27-37.

*never become finally judged matters. For these cases, the institute of petitioning a new proposition of the case, which places a considerably lighter evidentiary burden on the petitioner than does the restitutio in integrum, is always available»*<sup>6</sup>. Idem vero auctor non excludit possibilitatem restitutionis in integrum relate ad decisiones incidentales in causis N.M., dummodo reapse agatur de re iudicata.

G. Read<sup>7</sup> autem in commentario ad art. 78 §2 Instructionis *Dignitas connubii* opinioni a Wrenn propositae adhuc favere videtur: «*This is a useful clarification since at first sight there is a contradiction between Canons 1460 and 1645. The former allows restitutio as part of the general procedural norms, but the latter appears to allow this remedy only in adjudged matters, and it had been a disputed question whether it could be applied to marriage nullity cases. It is clear from this that once there have been two conforming sentences the only possibility of a challenge is not a new proposal before the Rota, but, in the restricted circumstances listed of manifest injustice, also a total reinstatement*». Statim autem animadvertendum est can. 1460 §2 (art. 78 §2 Instructionis *Dignitas connubii*) respicere casum specificum, de quo infra, sed haudquaquam duplicem decisionem conformem de statu personarum.

6. Quibus expositis, patet apte distinguendum esse, ne ex assertione nimis generica oriatur confusio.

---

<sup>6</sup> J. BEAL, «Remedial Readings» (cf. nt. 5), 31.

<sup>7</sup> G. READ, «*Dignitas connubii*: Introduction... An Introductory Comment», *CLSGB&I Newsletter*, n. 142, June 2005, 30-42; vide 36-37.

### **III. Potestne sententiis definitivis affirmativis vel negativis circa ipsius matrimonii nullitatem applicari institutum restitutionis in integrum?**

7. Responsio est simpliciter negativa. Institutum enim restitutionis in integrum praesupponit rem iudicatam (cf. can. 1645 §1), dum ad normam can. 1643 (cf. art. 289 §1 Instructionis *Dignitas connubii*): «Numquam transeunt in rem iudicatam causae de statu personarum...». Si duplex autem decisio conformis in causa de statu personarum prolata sit, non requiritur ut locus sit restitutioni in integrum, cum iam detur possibilitas petendi novam eiusdem causae propositionem (cf. can. 1644; art. 290 §1 Instructionis *Dignitas connubii*). Ad rem satis est ut haec petitio novis et gravibus probationibus vel argumentis sit suffulta (cf. *ibid.*), quae probabilem reddunt contrariam decisionem (cf. art. 291 §1 Instructionis *Dignitas connubii*); pro restitutione in integrum, e contra, requiritur ut de iniustitia rei iudicatae manifeste constet, ob unam e rationibus in can. 1645 §2 indicatis. Quodsi duplex decisio conformis in casu sit manifeste iniusta, sufficit possibilitas petendi novum eiusdem causae examen ad normam can. 1644, quia manifesta eiusmodi iniustitia sine ullo dubio novum et grave argumentum est ad illud novum examen concedendum. Quo casu, servatis servandis, ob iustam et rationabilem causam a Signatura Apostolica peti potest Commissio Pontificia ut de re videat aliud Tribunal loco Rotae Romanae, iure competentis (cf. art. 9 §3 Instructionis *Dignitas connubii*). Tenet consequenter Signatura Apostolica in sua responsione «quod, duplici decisione prolata de nullitate matrimonii ad normam can. 1645 §1, n. 1 (cf. art. 291 Instructionis *Dignitas connubii*) proprium

iuris remedium datur, idest petitio novae eiusdem causae propositionis (cf. can. 1644), quod iuris remedium latius patet quam restitutio in integrum».

8. Quae sententia confirmatur ex art. 9 §2 Instructionis *Dignitas connubii* (cf. art. 289 §2): «[...] incompetencia iudicis [in causis nullitatis matrimonii] est absoluta ratione gradus si eadem causa, postquam lata fuerit sententia definitiva, iterum in eadem instantia pertractetur, nisi forte sententia nulla declarata fuerit [...]». In casu enim haudquaquam ulla fit mentio de restitutione in integrum, quae ob motiva, de quibus in can. 1645 §2, nn. 1-3, petenda est coram iudice qui sententiam tulit (cf. etiam can. 1648). Atvero praetermitti non potuisset in art. 9 §2 mentio de restitutione in integrum, si haec reapse possibilis esset in casu.

Item art. 300 §2 Instructionis *Dignitas connubii* mentionem facere debuisset de restitutione in integrum, si haec possibilis esset in casu. Si exsecutor sententiae, ad normam can. 1654 §2 compertum habeat «sententiam esse nullam vel manifeste iniustam ad normam cann. 1620, 1622, 1645, absteineat ab executione, et rem ad tribunal a quo lata est sententia remittat, partibus certioribus factis». Ille vero art. 300 §2 penitus omittit mentionem de can. 1645 ad decisiones pro nullitate matrimonii quod attinet.

Neque in art. 259 eiusdem Instructionis fit mentio de restitutione in integrum: «Sententia definitiva, eaque valida, etsi iudices unanimiter consentiant, retractari non potest». Iudices ideo retractare non possunt sententiam definitivam ab ipsis in causa nullitatis matrimonii latam, etiam casu quo unanimiter censent eam esse manifeste iniustam.

N.B. Omittitur quaestio subtilis utrum nempe, post mortem partis in causa de statu personarum

atque ideo vinculo matrimoniali utcumque soluto, peti possit nova eiusdem causae propositio post duplicem decisionem conformem novis et gravibus probationibus vel argumentis adductis an tantummodo ob rationes, de quibus in can. 1645 §2.

#### **IV. Potestne decisionibus incidentibus in causis N.M. applicari institutum restitutionis in integrum?**

9. Etiam hac in re bene distinguendum est inter decisiones incidentes, quae habent vim sententiae definitivae – nempe illae quae «iudicium impediunt vel ipsi iudicio aut alicui ipsius gradui finem ponunt, quod attinet ad aliquam saltem partem in causa» (can. 1618; art. 262 Instructionis *Dignitas connubii*) – et reliquas decisiones incidentes. N.B. Non consideratur casus omnino exceptionalis in quo quaestio incidens respicit existentiam praecedentis vinculi (cf. art. 145 §2 Instructionis *Dignitas connubii*), seu in quo agitur de ipso statu personarum. Hoc enim in casu, si et quatenus, locus est petitioni novi eiusdem causae examinis ad decisionem de praecedenti vinculo quod attinet.

10. Si decisio incidens, quae habet vim sententiae definitivae, facta est res iudicata, ei institutum restitutionis in integrum, servatis iure servandis, applicari potest<sup>8</sup>.

---

<sup>8</sup> Cf. G.P. MONTINI, *De iudicio contentioso ordinario. De processibus matrimonialibus*, Ad usum auditorum, PUG, Romae 2004, 328.

Quaestio autem specifica habetur utrum id etiam valeat relate ad decretum quo confirmatur reiectio libelli, necne. In casu, enim, non habetur res iudicata stricto sensu, quia reiectio libelli non fit in contradictorio, id est cum interventu alterius partis in causa. Cum autem eiusmodi decretum de facto impediatur processum, cum – nisi novus libellus rite confectus adhuc exhiberi possit (cf. can. 1505 §3; art. 123 Instructionis *Dignitas connubii*) – non habeatur aliud remedium ad manifesto iniustam reiectionem libelli reparandam, cumque, tandem, restitutio in integrum hoc in casu faveat oeconomiae processuali, iurisprudentia Signaturae Apostolicae in casu possibilitati restitutionis in integrum non apparet contraria, dum iurisprudentia Rotae Romanae hac in re est divisa ideoque non habetur eiusdem constans iurisprudentia contra possibilitatem restitutionis in casu<sup>9</sup>.

11. Quoad reliquas vero decisiones incidentes sedulo prae oculis habendum est praescriptum can. 1591 (cf. art. 226 Instructionis *Dignitas connubii*): «Antequam finiatur causa principalis, iudex vel tribunal potest decretum vel sententiam interlocutoriam, iusta intercedente ratione, revocare aut reformare, sive ad partis instantiam, sive ex officio, auditis partibus». Hisce in casibus igitur neque habetur res iudicata (cf. can. 1641) ideoque per se neque locus est restitutioni in integrum. Hoc institutum, ceterum, in casu per se prorsus superfluum habendum est, cum iam sufficiat iusta ratio ut decretum vel sententia interlocutoria a iudice vel tribunali revocari aut reformari possit.

---

<sup>9</sup> Cf. G.P. MONTINI, *De iudicio contentioso ordinario* (cf. nt. 8), 30-31.

12. Habetur vero exceptio in can. 1460 §2 (cf. art. 78 §2 Instructionis *Dignitas connubii*): «In casu exceptionis de incompetencia relativa, si iudex se competentem pronuntiet, eius decisio non admittit appellationem, at non prohibentur querela nullitatis et restitutio in integrum»<sup>10</sup>. Hoc in casu ad normam can. 1591 efficaciter procedi posse non videtur. Agitur autem in can. 1460 §2 de norma omnino sui generis, quae, iuxta notum principium “generi per speciem derogatur” fieri prorsus nequit norma generalis. Ita constanter tenet iurisprudentia Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis<sup>11</sup>.

## V. Animadversio finalis

13. Quibus dictis, satis illustrata videtur Signaturae Apostolicae responsio, de qua in casu. Plurima, utique, adhuc dici possunt de origine, natura et fine illius proprii remedii, scilicet petitionis novae ei-

---

<sup>10</sup> Cf. A. SABATTANI, «Le impugnative delle decisioni incidentali», in *Cause incidentali e processo contenzioso sommario ossia orale*, Roma 1988, 89-101; vide 97-98. Ipse asserit, relate ad praescripta legis de foro competenti, quod: «[...] inane sarebbe la legge, se una convenuta, trascinata davanti ad un tribunale di altro continente dove il marito fruisce di un simulacro di residenza, dopo averne eccepito l'incompetenza, dovesse rimanere inerte, disarmata davanti a quel giudice che si conferma competente» (98).

<sup>11</sup> Cf. G.P. MONTINI, *De iudicio contentioso ordinario* (cf. nt. 8), 327; F. DANEELS, «La querela di nullità contro le sentenze della Rota Romana nella giurisprudenza della Segnatura Apostolica», in *La “querela nullitatis” nel processo canonico*, Studi Giuridici 69, Città del Vaticano, 231-249: vide 249, nota 31.

sdem causae examinis, ad duplicem decisionem conformem de statu personarum quod attinet, sed haec satis nota supponuntur.

Decursu autem expositionis mentio facta est de art. 9 §2 Instructionis *Dignitas connubii*, iuxta quem «incompetentia iudicis est absoluta ratione gradus si eadem causa, postquam lata fuerit sententia definitiva [in causis nullitatis matrimonii], iterum in eadem instantia pertractetur, nisi forte sententia declarata sit nulla»<sup>12</sup>. Id non solum respicit quaestionem concretam hoc in commentario pertractatam, verum etiam praxim quorundam Tribunalium appellationis<sup>13</sup> remittendi causam ad Tribunal *a quo*, ut id, supplemento instructionis peracto, motiva pro sententia valida primi gradus, quae non videtur cogens, compleat vel melius exponat.

FRANS DANEELS, o.praem.

---

<sup>12</sup> Cf. SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL, «Declaratio de foro competenti in causa nullitatis matrimonii, post sententiam negativam in prima instantia latam», AAS 81 (1989) 988-990. Vide ad rem etiam art. 259 Instructionis *Dignitas connubii*.

<sup>13</sup> Cf. v.g. verba alicuius Exc.mi Moderatoris de operositate sui Tribunalis in gradu appellationis: «what the appeals tribunal has been doing instead of overruling a case from the first instance, they remand it back to first instance with recommendations. For instance, the grounds may be good, but the testimony and other evidence might need to be better. As you well know, if the case is overturned, those grounds cannot be used again, unless new evidence comes to light...» (in epistola diei 2 iunii 2006, in archivio Sign. Ap. sub prot. n. 1083/06 SAT).